THESIS MEDICA

DE ARTE INOCULANDI, SEU DE TUTA VARIOLARUM PROPHILAXI.

QUAM Deo duce, & auſpice Dei-parâ tueri conabitur in Auguſtiſſimo Monſpelienſi Apollinis fano BALTHAZAR-ADRIANUS BASSIGNOT, Sedenenſis apud Gallo-Provinciales, Diœceſis Ebredunenſis, Artium Liberalium Magiſter & jamdudùm Medicinæ alumnus die tertiâ menſis Martii anni 1759.

Pro primâ Apollinari Laureâ conſequendâ.

MONSPELII,
Apud AUGUSTINUM-FRANCISCUM ROCHARD, Regis & Univerſitatis Medicinæ Typograp. unicum.

M. DCC LIX.

ARGUMENTABUNTUR

R.R. D.D. PROFESSORES REGII.

R. D. JOANNES-FRANCISCUS CHICOYNEAU, *Cancellarius Judex.*

R. D. ANTONIUS MAGNOL, *Decanus.*

R. D. HENRICUS HAGUENOT, *Pro-Decanus.*

R. D. ANTONIUS FIZES.

R. D. FRANCISCUS DE SAUVAGES.

R. D. FRANCISCUS DE LAMURE.

R. D. FRANCISCUS IMBERT.

R. D. Venel.

R. D. LeRoy.

THESIS MEDICA

DE TUTA VARIOLARUM PROPHYLAXI.

INNUMEROS inter morbos, quibus afficitur humana gens, miserèque torquetur, præ aliis diros præstant effectus Variolæ naturales, seu illæ quæ sponte accidunt, quæque eò periculosiores, quo tardiores. Quæ quidem pestis tetra admodùm, veluti monstrum exitiale, grassatur ubique, nullâque habitâ ratione, ætatis, sexûs, conditionis, in ipsis etiam maternis visceribus, veneno suo nostri corporis stamina compingit. Amabilis charitum cohors, quâ tam blandè recreatur oculus, illius etiam obnoxia furori & infeliciter hoc turpi tabo infecta, amissam quotidiè luget pulchritudinem. Quis ergò monstrum illud neci dabit? nùm alcidæ manu clavâ, nec non impetu opus est quo trucidetur Bellua? Medicis, humanæ nostræ machinæ conservationi invigilantibus, à longo jam ævo fuit incitamentum,

ut illius impetum, ferociamque refrænarent: nec incassùm tentarunt, sed inoculatio sola tam utili operi navare tutius ac certius potest. His præmissis brevem. 1°. Inoculationis traditurus sum Historiam. 2°. Utilitates ipsius recensurus. 3°. Inoculandi modum perlustraturus.

ARTICULUS PRIMUS.

SI fides adhibenda medicorum (*a*) testimonio; hanc variolarum prophilaxim apud Georgios, Circassios, Sinenses, Græcos, præcipuèque Thessalos, ex quo homines meminerunt, in usum venisse certum & compertum est. Illis tamen tantùm non arrisit Appollo; brevi enim norunt sacram hanc medelam Constantinopolitani, cum, testante historiâ, in oris Bosphorii maritimis sæpissimè fuerit instituta. Deficientibus verò, ad illius præponendam efficaciam, observationibus, pauperes tantùm illam excoluere. Hanc urbem adeò crudeliter depopulavêre Variolæ, incipiente hocce sæculo; ut omnes ferè contaminati è medio tollerentur, quibus stragibus territi Constantinopolitani salubrem hanc in usum revocaverunt medelam, quam turcæ, fati decretis addicti, tamen respuere. Tam felices habuit exitus talis methodus, ut nobilis mulier (*b*) filium suum dilectissimum, sex annos natum, à Chirurgo inoculari jusserit. In Angliam Redux eamdem operationem in ca-

(a) *Timone Pylarini.*

(b) *Myledy Wortley Mountague ayant accompagné son Mari en son Ambassade à la Porte, y fit inoculer son Fils par Mr. Maitland son Chirurgien.*

rissimâ filiâ, quinque annos natâ, comprobavit: Cujus exemplo, alii non minus nobiles natis suis Variolas per insertionem felici cum successu concitavere. Ubicumque flores diffundebat nova methodus, cum è regali progenie nata (*c*) summo cum vitæ periculo Variolas naturales contraxit: quibus perterrita domus regalis immunem se à periculo ut præstaret, ad inoculationem, tanquam ad sacram anchoram confugit. Quamquam verò individui tali methodo fuissent successus, ut certiores forent à Medicorum regali Societate Collegii Londinensis fuit tentatum, an secura semper & proficua foret. Itaque 1°. Autoritate regiâ in hominibus sex, capite damnatis, peracta fuit hæc operatio, unus ex iis jamdudùm ab hac fuerat affectus lue. Ex voto omnia respondere, benignisque laborarunt Variolis, symptomatibus quæ præire solent nullo modo observatis; nullæque in eo, prius Variolas experto, effloruerunt pustulæ. 2°. In quinque pueris Paræciæ Sti. Jacobi cum æquali successu. Hisce experimentis innixi in progenie regiâ Variolas excitandas fore statuerunt Londinenses Medici; quod minoris non fuit momenti, quam ut mox illius vigeret nomen & celebraretur. Dum vero altæ illius radices longè latèque propagarentur, à quibusdam experientia in propriis (*d*) aliorumque natis (*e*) facta, ab aliis ratiocinio, accuratisque com-

(c) *Une des Princesses de Brunswick, ci-devant Princesse d'Orange.*

(d) *Les Docteurs Sloanne, Fuller, Breoady & plusieurs autres inoculerent leurs Enfans.*

(e) *L'Evêque de Salisbury & plusieurs autres Casuistes soumirent leurs Enfans à l'inoculation; cet Evêque a prêché les avantages de cette pratique.*

putationibus (*f*) tanquam utilis & necessaria proclamaretur, quidam Theologi, inter quos *Massey* imprimis, divino quasi afflatu commoti, salutarem hanc repudiare medicinam conati sunt, simulantes speciosè diabolum hanc detexisse, Jobque à cacodemone fuisse inoculatum. Gallis tales ignoti successus, cum illustrissimus D. *De la Coste*. Dm. *Dodart* Regis Archiatrum, à novem Sorbonicis Doctoribus, experimenta tanquam licita & æqua declarata fuisse, Epistolâ commonefecit: in quâ etiam asseruit iis assensum dedisse famigeratissimos Lutetiæ Medicos (*g*). Vix ac ne vix quidem in hac percelebri Urbe inoculationis tentamina licita esse, fuerat statutum, Cum, rejectà hâc methodo, Variolas inoculare nefas (*h*) in Scholis midicinæ fuit dictatum. Aliundè ficti varii infelices successus *Bostonii* observati, Parisiisque disseminati, parvi non fuerunt momenti ad hujus minuendam autoritatem; dùm in aliis terræ plagis, præcipuè in Asiâ & Carolinâ vigeret. In ipsamet Insulâ Britannica, in quâ varias hæc patiebatur mutationes medela, tandem Nosocomium Londini fuit ædificatum (an. 1746) ut pauperes inocularentur variolosisque opitularetur. Paucis abhinc annis apud Genevenses, Suecicos, Berolinenses, Italosque in usu est medicina hæc, ad quam stabiliendam præjudicatasque opiniones fugandas non parùm contulerunt Doctores illustrissimi (*i*) quorum

[f] *Rélation des succès de l'inoculation, & ses avantages par Mr. Jurin.*

(g) *MM. Chirac, Helvetius & Astruc, comme on peut le voir dans la Lettre de ce dernier à M. de Labadie.*

(h) 1732.

(i) *MM. Tronchin & Butini.*

unus (*k*) filio ſuo, nondùm Variolas naturales experto, artificiales commovit, dum alter, variolis naturalibus ſummo cum periculo laboraret. Hic in arte Vir Clarus in duobus Ducis Aurelianenſis natis chariſſimis, felici cum ſucceſſu hanc peregit operationem nec-non in aliis illuſtribus Liberis. Per plures Amſtelodami ſic ab eodem viro Variolas contraxerünt ſine ullo incommodo. Hiſtoriâ pertractatâ inquirendum nunc incumbit an minus periculoſa inoculandi methodus nec ne.

ARTICULUS IIus.

IN eo verſantur quæ ſumus dicturi, ſcilicet an Symptomata Variolas artificiales ſtipantia mitiora & feliciores habeant exitus, nec ne : quod comparatione dilucidabitur.

Variolæ naturales cum rigore atque horrore invadunt (*l*) quos mox excipiunt calor intenſus admodùm, capitis & dorſi vehemens dolor, vomituritio, anxietas, doloris ſenſus in partibus quæ ſcrobiculo cordis ſubjacent (quod ſignum patognomonicum) ſtupor etiam & ſomnolentia in infantibus præcipuè, aliquandò inſultus Epileptici ; in adultis ingens in ſudores propenſio ; ſymptomata parumper minuuntur, rariſſimè penitùs evaneſcunt erumpentibus puſtulis, quæ quarto die faciem primo affectare videntur, collum, pectus & dein corpus univerſum, fauces infeſtantur, undè arcetur deglutitio; parteſque etiam interiores, ut jecur, pulmo &c. inde difficilis reſpiratio. Grandeſcentes puſtulæ va-

[K] *Mr. Tronchin.*
[l] *Sydenham.*

riam induunt formam, modò cryſtallinam, modò verrucoſam, modò ſanguineam, modò rotundam & faſtigiatam, omnium feliciorem. Cutis inflammatur, perſpiratio impeditur, typhloſique afficitur æger. Salivatione ſæpè ſæpius torquentur adulti, & infantes diarrhæâ; matureſcentes puſtulæ pus effundunt, exſiccatæ in ſquamulas furfuraceas abeunt quæ ſquamulæ pertinaciores, longumque temporis ſpatium requirunt, ut decidant; deciduis foveæ ſuccedunt, vel cicatrices quæ faciem fœdè deturpant, vel maculæ in oculis viſum lædentes, vel pupillæ obvertuntur, vel altero oculo, aut oculis capiuntur ægri; quandoque abſceſſus, aut ulcus in meatu auditorio, vel brachia diſtorquentur, ſcapulæ, coſtæ, pedes, vel oſſa carie corrumpuntur &c. in eo morbo mors ſæpè ſuccedit; atque ex obſervatis jure meritò poteſt concludi è quinque ejuſmodi varioloſis unum auras vitales linquere (*m*) duos alios deformari, dùm duo tantum ſanantur.

Symptomata Variolas artificiales ſtipantia benignioris ſunt indolis; nam vix ſentit ſe malè habere æger primis morbi diebus, ut teſtantur paſſi inſitionem (*n*). Febris aliquandò accenditur & levis capi-

[m] *Rélation de Mr. Jurin dans laquelle il a prouvé que de cinq Perſonnes qui ont la Petite-Vérole naturelle, il en meurt une, ou deux, ſur onze.*

(n) *M. le Duc D. M. natif de Conſtantinople, y fut inoculé par ſon pere en* 1713. *Le Capitaine* Osburne *habitant de* Boſton *y fut inoculé dans l'Epidémie de* 1721. *Caſſem Aga Ambaſſadeur de Tripoly, & de la S. R. de Londres, fut inoculé avec quatre de ſes Freres, & trois de ſes Sœurs. Il dit que cette méthode eſt ſi ancienne dans le Royaume de Tunis, Tripoly & Alger, que perſonne ne connoît ſon origine. Les Arabes habitans des Campagnes & des Déſerts la pratiquent avec ſuccès.*

tis dolor ſupervenit; evaneſcunt omnia, apparentibus puſtulis, numero perpaucis & nunquam centum ſuperantibus: *mihi tantùm ſexdecim erupère ait* D. le Duc, *binæ ad faciem, reliquæ per pectus & dorſum diſperſæ.* Immunes ſunt fauces & præcordia, leviſſimè inflammatur cutis, haud præpedita perſpiratio; nec oculis parit noxam; nullæ occurrunt aut perminimæ diarrheæ, nullus ptyaliſmus, niſi ipſis anſam præbeat malum regimen: puſtulis coctis, pus ex naturâ ſuâ blandum, oppoſitam priori, ſed feliciorem ſternit viam, ſcilicet per reſolutionem deducitur, quandoque per ſuppurationem. Reſoluto pure, ſuperſunt ſquamulæ brevi exſiccatæ & facilè decidentes. (& his ægris nunquam ferè ſupervenit febris ſecundaria putrida quæ in aliis ſæpius quam optandum obſervatur.) deciduis hunc peculiarem fructum habent ſibi comitem, quòd nulla ſtygmata relinquant, nec cicatrices, cutis verò, ſummo ſexûs ſequioris gaudio, perpolita & plana, eximiaque oris lineamenta haud deformantur: nullus enim inventus eſt (o) qui tali deformitate laboraret, in quem operatio peracta fuit, nec variis miſeris morbis, jam recenſitis, poſt morbi decurſum ægri corripiuntur. Perpauci morti devoventur, ut accuratis computationibus (*p*], variiſque fide digniſſimorum Autorum diſſertationibus comprobatur.

(o) *Jacobus à Caſtro.*

(p) *Mr. Jurin a prouvé par le nombre des morts de l'inoculation, qu'il n'en étoit mort qu'un ſur* 91. *Mr. le Duc dit que depuis* 40 *ans une Grecque a inoculé à Conſtantinople* 6000 *Perſonnes, ſans qu'il en ſoit morte aucune. Mr. Rambi Chirurgien de la Famille R. & de la S. R. de Londres, en a*

Quisnam metus acer parentes impedit ne inoculationi filiorum suorum assensum præbeant ? nonne tot felices successus ipsis hanc licitam, quin imò necessariam suadent ? nonnè diligebant natos suos qui huic operationi illos subjecere ? quânamne spe animus lactatur ! An ne fortè putant hujus mali hos expertes fore ? errant toto Cœlo, cum experientia nos doceat perpaucos fuisse qui hoc non sint passi. Neque terreant de hâc methodo supposita ratiocinia, observationes enim solis observationibus destruuntur, verùm nunquam observationibus futilia ratiocinia, prævaluere. Numquid à celeberrimis in arte Viris (q) tam fuisset prædicata hæc methodus si infida iis visa fuisset ? Certè hanc inconsultò non accepere, Sed convictis rerum evidentiâ. Circulatio sanguinis mirabilisque Kinækinæ virtus febrifuga in dubium suo tempore fuere revocata: hodiè inoculatio eamdem patitur sortem ; tanta est mentis nostræ infirmitas, ut jocosè loquamur de his quæ oculis nostris non subjacent ! nota est apud omnes circulationis veritas, & Kinækinæ virtutem febrifugam omnes norunt, utinam ut jamjam laudata operatio mox in usum veniat, ad omnium salutem aut saltem quamplurium. Quâm foret optandum

inoculé environ 1500 sur lesquelles il n'en a perdu aucune. Mr. Myddelton sur 800 n'en a perdu qu'une. Mr. Wincester sur 556 n'en a perdu que deux. Enfin, de 6398 inoculés en Angleterre 17 seulement sont soupçonnés d'en être morts, ce qui fait un sur 376.

(q) *Boerrhave, Hoffman, Heister, Freind, Haller, Mead, Fuller, Pringle, Wan-swieten &c.*

cariſſima cuicumque bono civi pignora inoculari indeque periculo imminenti liberari ; dum enim erit neglecta inoculatio, epidemiâ ſuperveniente malignâ, eaque in ætate adulterinâ præſertim ſæviente, morbi ferocia therapeiam ridebit.

Paucis ab hinc menſibus totâ in Urbe Pariſinâ ſerpſerat rumor & ſonuerat juvenem D. *de la Tour* (r) cui Variolæ per inſitionem fuerunt commotæ, novum jam Variolarum inſultum naturalium, paſſum fuiſſe : quæ quidem obſervatio noſtro ſyſtemati fuiſſet oppoſita. Inoculationis obtrectatores, favente tali obſervatione, ſuam firmarunt opinionem & à Variolis naturalibus non immunes nos inſitione præſtitos promulgarunt. De cujus facti veritate certior ut fieret Sereniſſimus Aurelianenſium Dux quatuor Medicos Pariſinos miſit, qui juvenem prædictum (s) inviſerent : ii teſtimonio Publico demonſtrarunt falſitatem talis aſſertionis, aſſerendo, non à Variolis, ſed eruptione quæ erat de criſtallinarum familiâ fuiſſe affectum ægrum, cum intra ſpatium quatuor dierum, ſua percurrerit tempora ; uti videre eſt in Libello (*t*) quem ab illuſtriſſimo viro D. *Petit* practico feliciſſimo Aurelianenſium Ducis Medico primario nuper Pariſiis accepit illuſtriſſimus D. *Imbert* Univerſitatis iſtius Profeſſor.

Innumeras dictas inter utilitates non infimum ſibi

[r] *Fils de Mr. de la Tour Receveur des Tailles d'Agen, inoculé à Paris en* 1756.

(s] *Ce jeune-homme étoit en penſion chés M. Renouard à Picpus, après la Barrière du Fauxbourg St. Antoine, il tomba malade le* 6 *Novembre dernier.*

[t] *Lettre de Mr. Hoſty à Mr.* * * * *inoculé par Mr. Tronchin.*

vindicant locum eæ, quæ consistunt in electione regionis aptioris, anni tempestatis, ætatis; atque in præparatione congruâ ægri antequam inoculationi submittatur. Unum nunc tantùm nobis superest, ut inoculandi modum exponamus; addendo tamen verba ingeniosissimi Authoris, *naturam scilicet nos decimare dum vero non millesimat ars.* (u).

ARTICULUS III^us.

IN eo tota consistit Variolarum insitio ut pus Variolosum intrà corpus humanum injiciatur, & cum sanguine misceatur; quod variis modis, hic ex consultò omissis, peragi potest; inter quos certiorem & tutiorem nullum video subsequente.

Initio veris paratur subjectum bonæ constitutionis, remediis diæteticis, Chirurgicis & Pharmaceuticis: vulnus in brachio uno, aut utroque infligitur, infrà musculi deltoïdis tendinem; in hoc vulnere filum imbutum pure laudabili, recens extracto, admovetur; post 24 horas aut 40 tollitur apparatus, moreque solitò vulnus curatur. Futurus Variolosus in cubiculo moderate calido servatur, donec sextâ aut septimâ die febre correptus decumbere cogatur. Vix futuræ eruptionis prodroma symptomata persentit; pustulæ circà 7um. aut 8um. diem efflorescunt; quibus citius apparent sunt pejores, quibus serius mitiores. His superaddendum venit; quòd quò abundantior est materies quam fundit vulnus, eò minor sit numerus pustularum.

(u) *Mémoire de Mr. la Condamine*, *p.* 58.

FINIS.